



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Ervditione Religiosorvm**

**Humbertus <de Romanis>**

**Ingolstadii, 1591**

**VD16 H 5888**

2. Quatuor tentationes diaboli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-50980)

reputare poenitentiam, quam tibi vult auferre.  
 Vnde debes eum cauere, sicut spoliatorem rei  
 pretiosissimæ. Suadeo tibi à me emere aurum. *Apoc. 3.*  
 Aurum emere, est fructū poenitentiæ preparare.  
 Quintò, querit pondus diminuere, ad quod cœ-  
 leste gaudiū tibi tradendum est. Id quod in præ- *2. Cor. 4.*  
 senti est momentaneum, & leue tribulationis  
 nostræ, supra modum in sublimitate æternum  
 gloriæ pondus operatur in nobis.

*De quatuor temptationibus diaboli.*

### C A P V T II.

**M**Ultiplicem diaboli temptationem ostendit Bernardus, loquens de illo verbo: Scuto *Serm. 5. ſu-*  
*circundabit te veritas eius, non timebis, &c. per Psal.*  
 Sunt, inquit, quatuor temptationes, in quibus vn- qui habi-  
 dig̃ circundati, necesse habemus scuto Domini *tat. à me-*  
*circundari ante & retro : à dextris & à finistris. dio.*  
 Timor afflictionis nocturnus & planè tenebro-  
 sus: quia abscondit ab oculis, quod non sunt  
 condignæ passiones huius temporis ad futu-  
 ram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: sed fa-  
 cile hunc radius veritatis exuperat. Ingerit e-  
 nim oculis cordis nunc peccata quæ fecimus,  
 nunc æterna supplicia, nunc æterna præmia,  
 nunc ea quæ pro nobis pertulit Christus. Ad lu-  
 cem ergo tam multiplicis veritatis nox recessit.  
 Sed time sagittam, quæ in die leuiter volans,  
 non leue vulnus infligit. Hæc sagitta est vana  
 gloria, quam oportet cauere feruentiores: ne  
 deserant scutum veritatis. Quid enim tam con-  
 trarium veritati? Et subdit: Primò à finistris pul-  
 sat diabolus pusillanimitate; deinde à dextris,

H 3

huma-

humanis laudibus. Si sic non proficit, dicit: Vixib[us] deiicere nequeo: sed fortè deiicere poter[em] alicuius ingenio proditoris. Negotium perambulans in tenebris, est ambitio, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, dolii artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum originis, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis. Contempsit enim ait, vanam gloriam, quoniam vana est: fortè aliquid solidius affectaret, fortè honores, fortè diuitias. Quid nimirum veritas, inuestigat hunc proditorem, & negotium arguit tenebrarum? Non restat callido inimico contra eos, quos videt omnimodis diligere iniquitatem, & odisse iniquitatem, nisi ut iniquitatem palliet virtutis imagine. Quos enim nouit perfectos boni amatores, malum eis sub specie boni non mediocris, sed perfecti suadere conatur ut facile qui currit, incurrat. Ipse sathanas transfigurat se in angelum lucis. Sola autem est veritas, quæ palliatam detegit falsitatem.

B. Cor. II.

*Quod quinq[ue] aduertenda sunt & timenda circa  
diaboli impugnationem.*

## CAPVT III.

Pro. 36.

**C**irca diaboli impugnationem quinque nobis aduertenda sunt & timenda, scilicet, dolositas, crudelitas, continuitas, varietas, & universitas. Dolosè impugnat, non solum quia mendaciis vtitur, vt prius ostensum est, sed etiam quia tortuosè incedit: nec agnoscitur ab eo qui tentatur, quid intendit. Tria sunt mihi difficultaria, &c. vnum illorum est, via colubri supra p[er]transi-